





DISPUTATIO  
De  
SUCCESSIONIBUS  
AB INTESTATO

Quam

Divinâ favente gratiâ

Consensu & Auctoritate Magnifici & Am-  
plissimi Jctorum Ordinis in Illustri ac florentissima  
Salana

PRÆSIDE

D<sup>N</sup>. THEODORO AB OESEDEN  
FLENSBURGENSE HOLSATO.

Nobilissimis, Præstantissimis & Doctissimis  
D<sup>nn</sup>. suis Collegis proponit

WOLFGANGUS GVILIELMUS à Kreit/  
NOB. PAL.

Die 28 Augusti.

Horis & loco consvetis.

J E N Æ

TYPIS JOHANNIS BEITHMANNI

ANNO clō lō. C. XVI.

15 37

1616, 6





55  
*Viris strenuissimis, antiquâ Generis nobilitate, virtute & longo rerum usu experientissimis & præstantissimis*

DN. JOHANNI ADAMO à Kreitin Sutenek & Stambried Judicii Curialis, quod est Ambergæ, Assessori dignissimo.

DN. OTTONI Erlbeck ab & in Siningen.

DN. FRIDERICO Erlbeck à Siningen in Etershausen Illustriss. & Celsiss. Principis Domini WOLFGANGI GUILIELMI Comitis Palatini &c. Consiliario fidelissimo, & Provinciæ Palatinatus Neoburgici summo Præfecto.

*Dominis Curatoribus, Agnatis & Parenti perpetuo observantia & amoris studio honorandis*

Hasce sui studii primitias  
dedicat & consecrat

*Wolfgangus Guilielmus à Kreit.*



## DE SUCCESSIONE AB IN- TESTATO.

### I.



**H**ereditas est Jus univer-

sum quod defunctus tempore mortis  
habuit. *l. hereditas nihil aliud. 62. ff. de V.  
S. l. Heres in omne 37. ff. de Acquir. hered.  
l. 1. & 3. ff. de bonor. possess. l. 2. C. ad SC.  
Trebell. Quæ ex duabus tantummodo  
causis defertur, Testamento scilicet,  
& Lege ab intestato. l. 70. ff. de Acquir.*

*hered. l. 9. C. de Jur. deliberand. l. 1. ff. de Hered. petit. §. fin. Inst. Per  
quas person. cuiq. acquir. Hinc rectè infertur conventionibus &  
pactis hereditatem dari non posse, l. 15. 30. C. de Pact. l. 5. C. de  
Pact. convent. l. 4. C. de Inutil. stipulat. l. 61. de V. O. l. 3. C. de Col.  
lat. l. 34. C. de Transact.*

### II.

Etsi verò aliàs nihil tam naturale quam quæ semel pla-  
cuerunt servare *l. 1. & tot. tit. ff. de Pact. l. 1. d. Constit. pecun.* ab hac  
tamen regula pactum quod hereditatis nomine initur, leges  
nostræ servari nolunt, utpote quod moribus bonis adversa-  
tur, inducit enim votum captandæ mortis *l. 30. C. de Pact.* & li-  
beram testandi facultatem aufert, *contra l. 1. C. de SS. Eccles. qua-  
lià quæ sunt, ipso Jure nullius momenti sunt, l. 6. C. de Pact. l.  
7. §. Ait Prætor ff. eod. l. 5. C. de LL. Boc. in tr. de Jure succed. in Feud.  
c. 2. quest. 1.*

### III.

Idem cum Fachin. 5. Controvers. 86. statuimus de pacto  
reciproco, siquidem nec hoc ullas habet vires, cum generalis

fit juris dispositio, Pactis hereditatem dari non posse, nec ul-  
libi exceptio de pacto reciproco legitur, imò si milites exci-  
piamus disertè includitur in *l. 19. C. de Pact.* Sed aliud usu rece-  
ptum esse testatur *Gail. observ. 126. Mynsing. 2. obs. 33.*

IV.

Hoc de Jure nostro Civili in tantum verum est, ut licet  
hujusmodi pactum juramento sit confirmatum, tamen non  
valeat, nec inde hereditas peti poterit, ut contra alios dispu-  
tat *Borcholt. in tract. de Pactis 5. n. 66. Fach. 2. Contr. 91. argumento*  
*l. Non dubium C. de LL.*

V.

Nec inter Principes, Comites, Barones & alias illustrio-  
res personas pacta de succedendo secundum Jura nostra sub-  
sistent. Quia tamen superior captandæ alienæ mortis suspicio,  
ob quam improbantur pacta successoria in illustres personas  
non præsumitur cadere, de moribus nostris pacta hujusmodi  
inter prædictas personas quin etiam inter nobiles de mutua  
successione in casu deficientium liberorum vel agnatorum  
admittuntur. Cujus rei exemplum illustre habemus inter do-  
mum Saxnoicam & Hassiacam. Ubi tamen notandum, opus  
esse confirmatione superioris, si de feudo ejusq; successione  
agatur *Gail. 2. obs. 127. vide Bocer. d. tr. c. 2. quest. 2.*

VI.

Cum itaque duæ tantum sint successionis causæ, Testa-  
mentum & Lex ut ex superioribus liquet. Sequitur etiam  
duas successionis solummodo esse species, Testamentariam,  
quæ testamento, & Legitimam quæ lege defertur, *l. 3. §. 2. ff.*  
*Pro Socio l. Quod autem §. 2. ff. Qui in fraud. credit. l. 3. C. de Impub.*  
*& aliis substit. §. fin. Inst. Per quas person. nob. acquir. De hac poste-*  
*riori specie in præsentia auxiliante DEO videbimus.*

VII.

Dicitur autem Lege ab Intestato deferri hereditas, quæ  
solâ lege, sine defuncti testamento defertur, unde dicitur he-  
reditas intestati, *§. 1. Inst. de heredit. quæ ab intest. defer.* Heredi-  
tas legitima, *l. 3. §. De illo ff. Pro Socio l. In plurium 70. l. 77. ff. de*  
*Acquir. vel omitt.* Item legitimi heredes quibus hoc modo he-  
reditas obvenit, *l. 2. §. fin. ff. Unde Legitimi l. 2. & tot. tit. ff. de suis*  
*& le-*

& legit. Donell. 9. Com. 1. Hinc facile apparet, quando deferatur Legitima hereditas, tum videlicet cum testamento hereditas adiri non potest. l. 39. de Acquir. hered. l. 89. de R. 7. l. 8. C. Com. de success. Unde hic nobis agendum 1. Quivis dicatur intestatus, 2. Ad quos intestati hereditas jure pertineat, & quomodo succedant.

### VIII.

Intestatus decedere quis dicatur docet Imp. in pr. Instit. de Heredit. qua ab intest. deferuntur. Et primò quidem intestatus habetur is, qui omnino testamentum non fecit. II. Qui fecit quidem at non Jure fecit secundum leges, omissis iis quæ ad solennitatem & formam illius requiruntur d. pr. l. 3. Si tabb. testam. nulla ex tab. III. Si testamentum quod ab initio jure factum erat, ex post facto ruptum vel irritum factum est, d. pr. Inst. & l. 1. §. 8. Si tabb. test. null. ext. IV. Si nemo ex testamento defuncti heres existat, d. pr. Instit. l. 2. de suis & legitimis. V. Si per querelam inofficiosi testamentum sit rescissum l. 6. §. si quis l. 8. §. si ex causa. de Inoff. testam. VI. Intestatus & is est, contra cujus testamentum bonorum possessio petita & obtenta est l. 20. in pr. de Bonor. possess. contra tabb. vid. Gæd. ad l. 64. n. 3. & seqq. de V. S.

### IX.

Intestatos & eos rectè dici putamus qui testamenti factionem activam non habent, cujusmodi sunt Furiosi, Impuberes, Prodigiper l. 10. C. de Legit. hered. l. 2. §. 5. & §. 23. ad SC. Tertull. l. 6. C. eod. l. 6. C. de Militaritestam Gædd. in d. l. 64. n. 4. ff. de V. S.

### X.

Et in statuto intestati dicuntur hi qui testamenti factionem activam non habent. Bocer. Cl. 3. disp. 10. th. 4. Quod si enim statutum de intestatorum bonis disponat, dispositionem illam ad impuberem, furiosum, prodigum, & alios qui actu testari nequeant porrigi puto. Ut si statutum, ne mater cum fratribus defuncti ab intestato succedat, sed per fratres excludatur, & mortuus de cujus hereditate agitur Impubes vel furiosus fuisset. Fach. 4. contrav. 74. Petr. Heigius in Com. Instit. de Legit. success. c. 1. n. 4. Forster. 3. de Success. ab intest. c. 4.



XI.

His præmissis proximum est ut videamus; Ad quos hereditas defuncti jure pertineat. Pertinet autem primò ad descendentes, si quos post se reliquit *Novell. 118. §. 1. cui concordat §. 1. Inst. de hered. quæ ab intest. defer. l. 1. §. 1. & 5. ff. si tabb. test. nulla ex tab.* quos naturæ & parentum commune votum ad successionem genitorum admittit *l. 7. in fin. ff. si tabb. test. nulla ex tab. l. cum ratio 7. in pr. ff. de Bon. damnat.* quiq; non nisi turbato ordine mortalitatis ante parentes decedunt, *l. penult. §. sed numquid ff. de Bon. libert. l. is in pr. ff. de Inoffic. testam.*

XII.

Nec distingvimus inter liberos, mares sint sive fœminæ, *l. si mater, C. de suis & legit. hered. §. Item vetustas Instit. de hered. quæ ab intest. defer. & tot. tit. ff. ad SC. Tertyll. & Orphit.* Ipsi parentes sint vel liberi, *l. fin. C. de suis & legitimis. l. Maximum vitium 4. C. de Liber. præterit. Novell. 118. c. 1. Auth. in successione, C. de suis & legit. aut in potestate vel sui juris, l. quæcunq; C. de bon. quæ lib. l. fin. C. commun. de success. d. Nov. 118. c. 1.* nullâ etiam habitâ suitalitatis ratione *d. Nov. c. 1.* aut nati fuerint tempore mortis parentum vel posthumi sint, *§. Licet, Inst. de hered. quæ ab intest. defer. l. 6. & seq. ff. de suis & legit.* Neq; refert legitimè nati sint liberi ab initio, vel per legitimationem legitimi effecti.

XIII.

Per subsequens matrimonium legitimatus succedit etiam tum, cum agitur de successione quæ defertur ex Jure statuario, puta si statutum sit ut extantibus filiis, filiæ ad successionem non admittantur; tunc enim non eo solùm casu removentur, quando adsunt fratres ex justis nuptiis nati, sed & si adsint fratres extra matrimonium nati, postea verò per subsequens matrimonium legitimati. *Gail. 2. obser. 141. Boc. cl. 5. disp. 18. th. 7. lit. D. in fin.* Hic quærunt: An Legitimati per subsequens matrimonium sicut in allodialibus sic etiam in feudis succedant? Negat. sent. plac. cum *Sonsbecio de Feud. part. 9. num. 72. Vultio de Feud. lib. 1. c. 9. nu. 93. per cap. Naturales 2. Feud. 26.* Affirmativam Camerae ac multarum aliarum curiarum præjudiciis confirmatam usuq; receptam esse tradunt *Gail. 2. obs. 141. Mynsing. 5. obs. 42. Boc. Cl. 5. disp. 18. th. 7.*

XIV. Sunt





## XIV.

Sunt tamen casus quibus liberis hereditas parentum non datur. Et primò quidem si memoria defuncti patris sit damnata, liberis hereditas adimitur, §. *per contrarium*, *Instit. de hered. quæ ab intest. defer. cui concordat. l. 1. §. Interdum. ff. de suis & legit.*

## XV.

Olim quoq; bona defunctorum liberis adimebantur, si defunctus capitali iudicio damnatus esset, *l. 1. in pr. ff. de bon. damnat. l. 5. C. de sent. pact.* quod tamen hodie per *Novell. 134.* unde desumpsit Irnerius *Auth. Bona damnatorum C. de Bon. prescript. correctum*, ita ut bona damnatorum non amplius publicentur, sed descendantibus & ascendentibus relinquuntur. Excepto casu quando quis ob crimen læsæ majestatis commissum damnatus est, nam bona ejus publicantur, §. *5. Inst. de hered. quæ ab intest. defer. & l. Quisquis C. Ad L. Jul. Majest. cui consentit Aurea Bulla Car. 4. Tit. 24.*

## XVI.

Neq; olim ad parentum successiones omnes indistinctè liberi admittebantur, quippe constat ex §. *1. 2. Instit. de hered. quæ ab intest. defer. l. 9. §. 2. ff. de Lib. & posthum.* quod ad suos tantum heredes intestatorum hereditates pertinebant. Emancipatis verò exclusis, §. *9. Instit. d. t.* At cum durum videretur liberos per remotissimos agnatos excludi, prætor naturali æquitate motus duritiem *l. 12. tabb.* mitigavit, ac eis bonorum possessionem dedit. Unde liberi, *d. §. Emancipati, Inst. d. t.*

## XVII.

Sed an illud adhuc hodie obtineat, ita ut emancipatus ex solo prætoris edicto veniat & bonorum possessionem petere necesse habeat controvertitur? Negamus per *Novell. 118. c. 1. 4.* ubi Justinianus differentiam inter suos & emancipatos iustulit quantum ad hanc successionem, *Diss. Cujac. in com. ad Novell. 118. & ad L. ult. De lib. & posth.*

## XVIII.

Si plures diversorum graduum liberi ex una & eadem linea prognati non omnes indistinctè succedunt, sed qui gradu proximior, est remotiorem excludit, §. *2. vers. ita demum, Inst. de here-*

*heredit. qua ab intest. Nov. 118. c. 1.* Si verò diversorum graduum liberi non ejusdem sed diversarum sint linearum, eo casu proximiores posteriores non excludunt, sed Jure representationis admittuntur, §. *cum filius 6. Instit. d. t. Nov. d. c. 1. Constitut. Caroli V. edit. Anno 1500. ubi omnis in contrarium introducta consuetudo abrogatur.*

XIX.

Liberi ex concubinato progeniti patri ab intestato non succedunt, si justam uxorem & legitimos liberos relinquit, *Nov. 89. c. 12. & Auth. Licet, C. de Natur. lib.* Si verò justam uxorem & prolem justam non habet, cum matre in duas uncias succedunt, *d. c. 12. & Nov. 18. c. 5.*

XX.

Si verò quærat de hereditate materna & aliorum à matre ascendentium, tum naturales etiam cum illis liberis justo matrimonio natis ad successionem admittuntur, *l. penult. C. ad SC. Orphic. §. Novissimi 3. Inst. de SC. Orphic. l. 2. & l. 8. ff. unde Cognati. Donell. 9. Comment. 2.*

XXI.

Spurii quoque ad patris intestati hereditatem non admittuntur, *arg. §. penult. de Success. cognat. l. 2. 4. 8. Unde cognati.* Etiam eo casu quando justam prolem & uxorem pater non relinquat *Nov. 18. c. consideramus 5. Nov. 89. c. Insuper si quis. Qua* in parte distant à liberis naturalibus. Ratio differentiae est, quia spuriorum pater incertior est, quippe cum horum mater cuilibet corpus suum prostituerit. Naturalium verò mater uno fuit aut certè uno fuisse contenta præsumitur. Si de matris successione quærat idem Juris obtinet, quod in naturalibus præcedenti th. diximus.

XXII.

Incestuosi, nefarii, neq; ad patris neq; ad matris successionem admittuntur, *Novell. 89. c. 15. Auth. Ex complexu ubi Sichelard. C. de Incest. nupt. & Auth. Licet C. de Natur. lib.* imò ipsis Jure Civili ne alimenta quidem debentur, *d. Nov. 89. c. 15.* Hinc quæritur: An Jure Civili prohibitum sit incestuosis alimentaministrare? *Neg. cum Val. Gvil. Forst in tract. Instit. disp. 1. th. 32. ubi rationes adfert pro nostra sententia & Dissent. refert.* Secus de

de Jure Canonico, cap. cum haberet ubi Gl. X. de eo qui dux. in ma-  
trim. quam poll. adult. Diff. Treutl. part. 2. disp. 16. th. 3. lit. G.

XXIII.

An infans ex matre adultera natus paternâ hereditate  
arcendus? Negat Andr. Gail. 2. obser. 97. n. 7. quia qui domi  
nascitur ex marito natus præsumitur, etiamsi de adulterio sit  
convicta. Quod procedit etiamsi mater confiteretur & ad-  
severaret filium natum ex adulterio, quia favore matrimonii  
adsertioni matris contra filium fides nulla adhibetur, Gail. d.  
obs. n. 8. Nisi fortè aliundè probari posset partum esse adulte-  
rinum, quales probationes habentur in l. 6. ff. de his qui sunt sui  
vel alieni jur. Quibus an rectè Coras. 2. Miscell. 22. Dissimili-  
tudinem partus annumeret, quasi ex similitudine & dissimi-  
litudine probatio filiationis desumi possit. Neg. quia dissi-  
militudo vel similitudo non præcisè ex qualitate seminis sed  
magis ex concipientis mulieris imaginatione contingit, argu-  
mento histor. Jacobi Gen. 20.

XXIV.

Monstra quoq; qui contra formam humani generis na-  
scuntur, ab hereditate parentum excluduntur, cum enim li-  
beri non sint, l. 14. ff. de Stat. hom. Sequitur quod jure liberorum  
in bonis parentum non gaudeant nec illis succedant. Huc  
etiam facit l. 3. C. de Posth. hered. instit. ubi testamentum rumpere  
negantur. Non idem dicimus de partu qui vocem huma-  
nam, sed minus sonoram edit, quos nos vocamus *Kyllkröpf* /  
item *Weyelkinder*. Hi, siquidem faciem humanam habent  
pro hominibus habentur & liberis annumerantur, quare et-  
iam ad successionem admittuntur l. 14. de Stat. hom. Multò mi-  
nus quod de monstro dictum exaudiendum venit de iis, in  
quibus natura membrorum officia ampliavit vel minuit, pu-  
ta si sit Hermaphroditus, si unius manus sex vel 7. sint digiti,  
vel unius digiti 4. membra.

XXV.

Removentur etiam liberi ab hereditate si illi renunciaf-  
sent arg. l. pen. C. de Pact. Quod intelligimus de hereditate de-  
lata, quam aliis relinquere licet l. fin. C. de Pact. §. fin. Inst. de he-  
red. qual. & diff. l. 13. ff. de Acquir. hered. l. 1. §. 6. de Success. edict. l. 4.

B

Quis

*Quis ord. in bonor. possess.* Nec ad validitatem hujus renunciatio-  
nis juramentum exigitur *d. §. fin.* Nisi renuncians minor sit 25.  
annis, tunc enim ad excludendum beneficium restitutionis in  
integrum juramentum desideratur, *Auth. Sacramenta Puber. C.*  
*si advers. vendit.*

XXVI.

Secus est si agatur de hereditate futura, cui renunciare  
minimè licet, nec renunciatio facta renuncianti obstat, *per l.*  
*3. C. de Collat. l. fin. ff. de suis & legit. l. 17. §. 1. l. 69. ff. de Acquir. he-*  
*red.* Hinc si filius Studiosus promittat parenti, nolle se ipsi  
succedere, si modò sumptus studiorum suppeditare velit,  
quantos necesse habet, renunciatio illi non obstat, quò mi-  
nus post obitum patris, cum aliis liberis ad successionem ve-  
nire possit, *l. 3. C. de collat.* Et hæc de futuræ hereditatis re-  
nunciatio quæ diximus adeò de jure Civili obtinent, ut  
quamvis Juramento confirmata sit, tamen nullius momenti  
putetur, *l. Non dubium 5. C. de LL.* Secus est de Jure Canonico  
*per tex. in c. Quamvis de Pact. in 6.*

XXVII.

De Successione feudali si quærat, neque tùm omnes  
promiscuè liberi ad successionem admittuntur, *ut videre licet*  
*apud Boc. Cl. 5. disp. 18. & in tract. de Jure succed. in Feud. cap. 3. Vult.*  
*lib. 1. Feud. c. 9.*

XXVIII.

Sed filii tamen & ex his nati masculi, exclusis fœminis  
& ab illis natis *Tit. 1. §. Hos autem. Tit. 8. §. si Filia verò lib. 1. Feud.*  
*Tit. 11. §. 1. vers. ad filias verò Tit. 50. 2. Feud.* Nisi specialiter con-  
venisset ut fœminæ etiam in feudi successionem admitteren-  
tur, *cap. unic. §. Hoc autem, de His qui feud. dare poss. cap. unic. §. ad*  
*Filias verò de grad. succed. cap. unic. §. fin. de success. Feud.* Admittun-  
tur etiam fœminæ, si feudum sit fœmineum, id est, quod fœ-  
mina primitùs acquisivit, *Boc. Cl. 5. disput. 13. thes. 12. & seq. cap.*  
*unic. de Feud. fœmin. cap. unic. vers. inferius, de Nat. succed. Feud.*

XXIX.

Ex dictis oritur difficilis quæstio; An illis casibus quibus  
ad feudi successionem fœmina admittitur, illa simul cum ma-  
sculis si existant, succedere possit, an verò masculis deficien-  
tibus

tibus tunc demum admitti debeat. Posterius placet, *Cap. unic. §. Folia de Success. feud. cum §. similiter, de Capitan. qui cum vendid.* Nisi eo tenore investitura facta probetur ut una & simul cum masculis, vel sicut masculi fœminæ quoq; succederent, vel hoc pacto ut cum masculis admitterentur fœminæ, *Boc. d. Cl. 5. disp. de success. feud. th. 15.*

XXX.

Dictum est masculis deficientibus tùm demum fœminas admitti. Hinc oritur perdifficilis quæstio. Quid Juris si fœmina per masculum semel exclusa sit, an in perpetuum exclusa censeatur, an verò masculis deficientibus, reditus ipsi ad feudum pateat? *R. semel exclusam in perpetuò exclusam manere cum Boc. Cl. 5. disp. 13. th. 16. & in Tract. de Investit. feud. c. 5. nu. 62. & seqq. ubi hanc sententiam defendit & ad contraria respondet.*

XXXI.

In feudis majoribus, cujusmodi est feudum Ducatus, Marchionatus, Comitatus, receptum ut liberi non omnes admittantur, sed solus primogenitus, *cap. unic. §. Præterea, de Prohibit. feud. alienat. per Frideric. cap. Licet X. de voto & voti redempt.* Ab hac Feudi divisione quibusdam in locis Germaniæ recessum esse notat *Gail. 2. obs. 153.* Hic quæritur uter ex duobus Regis vel Electoris filiis, quorum alter ante Regalem vel Electoralem dignitatem, alter posteam natus est, patri in Regno vel Electoratu ratione primogenituræ succedat? Respondemus pro eo qui ante dignitatem à patre acceptam natus est, *argumento l. 5. ff. de Senator. l. 2. §. In filiis ff. de Decurion. Vide de hac quæst. Hottom. Illustr. quæst. 2. Forst. de Success. ab intest. lib. 4. c. 24. n. 27. Schrad. de Feud. p. 7. c. 5. nu. 3. consentit Cl. & Amplissim. D. Foman. Præceptor noster venerandus in disp. 18. th. 3. lit. b.*

XXXII.

Est deniq; casus quo non omnes liberi ad successionem admittuntur, si matrimonium eâ lege & pacto contractum, ne inde nati succedant, sed certa bonorum portione acceptâ, reliquum liberis ex alio matrimonio natis relinquunt, *cap. unic. de Filiis nat. ex matrimon. cap. unic. §. Filiis, Si de Feudis defuncti contentio sit inter dom. & agnat. Sonsbec. de Feud. part. 9. nu. 80. & seqq.*

## XXXIII.

Tantum de his quibus ex liberis hereditas ab intestato relinquitur vel non. Sequitur modò videamus quomodo succedant. Ubi notandum quod liberi masculini & foemini generis in gradu primo, parenti suo in capita succedant, id est, hereditas ejus pro numero personarum in partes dividitur. Si verò cum liberis primi gradus concurrant nepotes ex altero prædefuncto filio, vel filia, nati, tum filii succedunt in capita, nepotes verò vel nepres jure repræsentationis in stirpes, §. *cum filius 6. Inst. de Hered. qual. & diff. Novell. 118. c. 1. Auth. In successione, C. de suis & legit. Constit. Caroli V. edita anno 1500. Don. 9. Com. 2.*

## XXXIV.

Quousq; verò Jus repræsentationis locum habeat inter descendentes, dissentiunt Dd. magis est ut dicamus non solum in nepotibus, pronepotibus, sed & cæteris subsequentibus in infinitum locum habere *per tex. in §. fin. Inst. de hered. que ab intest. defer. & Novell. 118. cap. 1. vers. Sic tamen. Schneidw. Inst. de success. ab intest. cap. de success. filiorum naturalium & legitimorum simul n. 17.*

## XXXV.

Similiter si defuncto non sint liberi primi gradus, sed tantum nepotes, ex filiis vel filiabus, tunc nepotes eandem capiunt portionem, quam parens eorum habiturus fuisset, si vixisset, adeoq; non in capita sed in stirpes pro numero filiorum prædefunctorum jure repræsentationis succedunt, *l. 2. l. 3. C. de suis & legit. §. cum filius, ubi Wesemb. Inst. de Hereditat. que ab intest. Nov. 118. cap. ibidem Cujac. Donell. 9. Com. 2.*

## XXXVI.

Quod si liberi sint diversi matrimonii, tum unaquæque soboles sui parentis bona etiam donationem propter nuptias & dotem parentis accipit, *Novell. 22. c. 29. Borch. de Feud. cap. 7. num. 16.*

## XXXVII.

Interdum etiam cum liberis defuncti admittitur pater aut mater. Quod duobus fit casibus. I. Si conjux defunctus locuples fuit, superstes inops. Hic placuit uxorem succede-

cedere marito cum liberis mariti, & maritum uxori cum liberis ejus, siue liberi amborum communes sint siue alterius matrimonii, in quartam partem ususfructus bonorum si tres sint liberi vel pauciores, si plures in virilem, *Auth. Præterea, C. unde vir & uxor.* Alter casus est, si matre vivâ pater filios emanciparit, deinde post mater decesserit, hoc casu placuit patrem inter liberos communes emancipatos vocari in virilem ususfructus partem, *l. 3. C. de Bon. matern.* Quod per *Novell. 118. c. 1.* sublatum non est, ut docet *Donell. 9. Com. 2. vers. Interdum.*

### *Tantum de Descendentibus.*

#### XXXVIII.

Quod si turbato ordine mortalitatis liberi ante parentes suos moriantur, nec liberos relinquunt, tunc ratione pietatis & commiserationis ad horum bona parentes vocantur exclusis collateralibus, *Papin. in l. Nam etsi 15. ff. de Inoffic. test. l. Scripto §. fin. ff. unde liberi, Nov. 118. c. 2.*

#### XXXIX.

Nec refert cujus gradus sint parentes masculi sint aut feminae, puta pater, mater, avus, avia, proavus proavia, & deinceps, *Auth. Defuncto C. ad SC. Tertullian. d. cap. 2. Nov. 118.* Nec solum naturales parentes liberis succedunt, sed & adoptivi parentes liberis suis adoptivis quos in potestate habuerunt, secus est in extraneis adoptatis, *§. sed hodiè, ubi Wesemb. Inst. de Adopt. l. penult. §. Si verò, C. d. t. & in liberis arrogatis, si intra pubertatem decesserint, §. cum autem ubi Gl. in verbo venturi Inst. d. t. l. pen. §. fin. C. eod. Forst. in tract. de success. ab intest. lib. 7. cap. 18.*

#### XL.

Et hoc procedit, quando agitur de successione bonorum allodialium, secus verò est si agatur de successione feudali. In feudali siquidem successione parentes regulariter non admittuntur. *Textus expressus in c. 1. de Natur. success. feud. c. 1. de success. fratr.* Propter communem feudi naturam, si non expresse, tacitè tamen in prima investitura hoc actum esse præsumitur inter dominum & vasallum, ut concessum feudum ad investitum & ejusdem posteros, siue ex eo descendentes, non



autem ad ejusdem parentes pertineat, quippe quod rarius & non nisi turbato ordine mortalitatis contingat ut filii ante parentes decedant. *l. Nam etsi 75. ff. de Inoff. testam. Duar. in tr. Feud. tit. 11. n. 10. Hartm. Pist. 2. Quæst. 19. n. 5. Mynsing. 3. obser. 93. Cujac. 1. Feud. 1. Vultej. de Feud. cap. 9. n. 101.*

XLI.

Non desunt tamen casus nonnulli quibus parens, defunctis filiis sine mascula prole in feudum novum succedat, ut si vel in prima investitura sive feudi concessione hoc actum & expressum sit *per tex. in cap. unic. Patrem in feud. filii. Boc. in tr. de jure succed. in feud. c. 4. quæst. 1.* Secundus casus, si filius propter benemerita patris ejusq; contemplatione de feudo novo investitus fuisse probetur: Hoc enim feudum etiam patri in casum deficientis filii concedi intelligitur, *argumento l. Dotem 6. C. de collat. l. ult. in fin. C. de usufr. l. 10. §. In arrogato, vers. ego etiam ff. de vulg. & pupill. Schrad. de Feud. part. 7. c. 6. nu. 4. Borch. c. 7. n. 9. Duaren. c. 11. n. 11.*

XLII.

Tertius casus est, si Statutum loci aut consuetudo permittat ut pater filio aut nepoti avus in feudum novum succedat, *arg. pr. F. de cognit. feudi. Vultej. de F. libr. 1. cap. 9. num. 101. pag. 521.*

XLIII.

Quartus casus, si pater in favorem filii sui feudum refutarit. Si enim filius ille nullis relictis liberis masculis moriatur, patrem in feudum ejus succedere volunt interpretes *post alios Hartman. ab Epping. lib. 1. obs. Tit. 54. obs. 46. Sonsbec. part. 9. n. 48. Borch. c. 7. n. 9.* idque in Camera Imperiali receptum esse & observari testatur *Mynsing. 3. obs. 93. Bocer. Cl. 5. disput. 18. thes. 22.*

XLIV.

Quod supra diximus, parentes admittendos ad successionem liberorum, cujuscunq; etiam sint gradus hoc intelligendum salvâ gradus prærogativâ. *Ampliss. & Consultiss. Foman. disp. 18. thes. 5. Instit. Imp.* Si enim parentes proli defunctæ successuri diversorum sunt graduum, tunc proximiores remotiores excludunt, pater enim & mater præferuntur avo & avia,



aviae, & hi remotioribus ascendentibus, *d. Nov. c. 2. & d. Auth. Defuncto C. ad SC. Tertull.* Quod secus fuit in linea descendenti ubi remotiores gradu una cum propioribus admittebantur, *d. c. 1. Nov.* Ubi à correlatis argumentari non licet, quasi cum in linea descendenti remotior per proximior non excludatur, in parentibus quoque excludi non debeat, diversa enim hic subest ratio, nec in ascendentibus etiam in descendentibus alter alterum repræsentat, *Cl. Præcept. Fom. d. disput.*

XLV.

Sunt casus quibus mater ab hereditate excluditur, ut si filio suo impuberi intra annum tutorem petere neglexerit, non gaudet jure succedendi, in ejus impuberis defuncti hereditate, *§. pen. Instit. de SC. Tertull. l. 3. C. ad SC. Tertull. l. 10. C. de legit. hered. l. 2. §. 1. l. fin. ff. Qui pet. tut. l. 8. & l. fin. C. eod.* Si quoque turpem & luxuriosam vitam elegerit, mater non succedit in filii defuncti hereditatem *l. fin. C. Quando mulier tutel. offic. fung. poss. Gail. 2. observ. 98. num. 15.* Si quoque mater ad secundas nuptias transeat, tunc eorum, quæ ex paterna substantia ad filium pervenerunt usumfructum quidem consequitur, proprietatem verò non capit. *Nov. 22. c. 26. Hinc nos. vers. Si autem l. 3. §. Illud, juncta Auth. ex testamento ubi Gl. C. de Secund. nupt. l. 5. C. ad SC. Tertull.* Quod etiam ad patrem porrigendum *Dd. putant. Forst. de Success. ab intest. lib. 7. c. 11. Gail. 2. obs. 98. n. 3.*

XLVI.

Etsi verò parentes collaterales cognatos ut supra dictum excludant, id tamen restrictionem ex nostra Novella accipit in casu ubi cum parentibus concurrunt defuncti fratres & sorores utriusque conjuncti. Quod si ex altero duntaxat parente defuncto conjuncti sint, quales sunt consanguinei & uterini non admittuntur, *d. c. 2.*

XLVII.

Nec cum parentibus primi gradus tantum fratres & sorores concurrunt, sed etiam cum parentibus ulteriorum graduum puta avo & avia &c. *per tex. in d. c. 2. v. Si verò cum ascendentibus.* Quod beneficium fratribus & sororibus duntaxat in *N. 118. c. 2.* datum fuit, illud postea in *Nov. 127.* extensum ad fratrum

trum



trum & sororum prædefunctorum filios primi gradus, ut hi quoq; cum ascendentes ad defuncti sui patris hereditatem vocentur. Hic quaeritur: An fratrum liberi tum quoq; cum ascendentes succedant, quando defunctus nullos reliquit fratres sed tantum fratris liberos, Quod Cujac. *in exposit. Nov. 118.* Negat. A qua Cujacii sententia cum Dd. communiter recedimus propter inscriptionem *Nov. 127.* ubi dicitur, quod fratrum filii succedant pariter ad imitationem fratrum etiam ascendentes extantibus. Deinde quia beneficium hoc datum est fratrum filiis, non consideratione parentis aut fratrum, sed ipsorum personæ, absq; respectu alterius.

XLVIII.

An & quatenus parentes liberis succedant, vidimus, restat, videamus de modo succedendi. Succedunt verò non pro numero personarum, sive ut Dd. loquuntur in capita, sed pro numero linearum. Hinc si defunctus relinquat post se avum paternum ex parte una, avum & aviam maternam ex parte altera, hereditas pro numero linearum in duas partes dividitur, quarum unam capit avus paternus, alteram avus & avia materna, *Nov. 118. c. 2. Donell. 9. Com. 3.* Sed anne ascendentes in omnibus defuncti bonis æqualiter succedant, an verò distingvendum sit inter bona paterna & materna, controversant Dd. Quidam putant paterna bona ad lineam paternam, materna ad maternam pertinere, in reliquis verò bonis defuncti, æqualiter ipsos succedere ascendentes *Borch. de Gradib. pag. 209.* Verum contrarium dicendum videtur ex *Nov. 118. c. 2.* ubi indistinctè hereditas defuncti inter ascendentes dividenda dicitur, *Cl. & Ampliss. D. Fomannus Præceptor noster venerandus in disput. 18. th. 5. Instit. Imp.*

XLIX.

Si ascendentes cum fratribus & sororibus concurrant divisio fit in capita, *d. Nov. 118. c. 2. vers. Si verò cum ascendentes.* Hinc si defunctus relinquat ex parte una avum paternum, avum & aviam maternam ex parte altera, & præterea fratrem ex parte tertia, Hereditas pro numero personarum dividetur in quatuor partes.

L. Quod



## L.

Quod si cum ascendentibus concurrant frater & fratris liberi, divisio similiter in capita pro personarum numero fieri debet, ita tamen ut prædefuncti fratris liberi pro uno capite numerentur. *Nov. 127. c. 1.*

## LI.

Eadem ineunda divisio si cum ascendentibus soli fratrum liberi, nulli verò fratres & sorores concurrant, ita ut fratrum liberi pro uno capite censeantur, *Borch. in tract. de Grad. pag. 220.* Et tantum de secundo ordine, nempe successionem ascendentium, consequens est, ut tertium ordinem, qui vocatur ex latere, perlustremus.

## LII.

Si itaque defuncto neque liberi neque parentes fuerint, tunc cognatos transversi ordinis ad hæreditatem leges vocant. *Nov. 118. c. 3. Nov. 127. cap. 1. Auth. cessante. C. de legit. hered.* Non solum masculos, sed & foeminas, æqualiter enim vocantur, *cap. 4. d. N.* nisi fortè statuto loci aliud cautum sit, in favorem agnationis, vel qualitas bonorum foeminas non admittat, prout eas regulariter non admittunt bona feudalia, ut *supr. th. 28.*

## LIII.

Nec distinguimus, utrum successuri per virilis, an verò per foeminini sexus personas defuncto sint juncti, id est, an sint cognati vel agnati *d. N. c. 4. Auth. post fratres. C. de legit. hered.* Nisi itidem agatur de successionem bonorum Feudalium, ad quam soli agnati exclusis cognatis admittuntur, *per text. in §. Hoc autem. 3. vers. similiter & illarum filii. de his qui feud. dari poss. cap. unic. vers. vel ex filia. de Grad. succed. in feud. & nisi aliud statuto loci introductum.*

## LIV.

Certus autem ordo succedendi cognatis præscriptus est. Primò enim ad defuncti hereditatem vocantur fratres & sorores, utpotè ipsi defuncto cognati proximi, *d. N. c. 3. Nov. 127. cap. 1. Auth. Cessante. C. de legit. hered. cap. unic. §. Et quia vidimus, de his qui feud. dar. poss. §. si Capitanei, de Feud. Marchie.*

## C

## LV. Non



## L V.

Non tamen omnes indistinctè vocantur, sed utroque tantùm parente defuncto conjuncti, id est, fratres & sorores Germani exclusis fratribus & sororibus & horum liberis, qui per patrem tantùm, aut solùm matrem defuncto junguntur. *d. Nov. c. 3. & d. Auth. post fratres. C. de legit. hered.*

## L V I.

Hic quæritur: An in feudali quoque successione fratrum germanorum prærogativa habeat locum? De uterinis quod non admittantur nullum est dubium. De consanguineis, an illi cum Germanis admittendi dubitatum fuit. Admittendos eos esse concludit Duar. *1. Feud. cap. 7. n. 80. Hart. Pistor. 2. quest. 43. Borch. de Feud. c. 7. n. 80. & ita in Camera judicatum fuisse adnotat Gail. 2. obs. 151. in pr. Boc. Cl. 5. disp. 18. thes. 26.*

## L V I I.

Quod si cum fratribus & sororibus Germanis concurrant, defunctorum fratrum vel sororum utrinque junctorum liberi, tum hi cum illis patruis suis & avunculis admittuntur. Non obstante regula, quod remotiores à proximioribus excludentur. Hæc enim ex singulari privilegio in fratrum liberis sublata est, *d. Nov. cap. 3. vers. si autem & vers. Hujusmodi. Concordat Constit. Carolin. d. anno. 1527. promulgata.* Quod etiam in feudalibus obtinet, *cap. unic. vers. His verò deficientibus. de success. feud. Boc. d. disp. th. 27.*

## L V I I I.

Non tamen omnibus fratrum liberis hoc privilegium datum est, ut cum defuncti fratribus succedant, sed tantùm illis qui sunt in primo gradu, qui propriè filiorum nomine continentur. *d. N. c. 3. vers. Hujusmodi, Auth. Cessante. C. de legit. hered.*

## L I X.

Quod si defunctus nullus hujusmodi conditionis fratres aut sorores relinquat, sed tantùm Germanorum fratrum vel sororum filios, & præter hos etiam fratres vel sorores ex altero tantùm parente conjunctos, tum liberi Germani fratris admittuntur exclusis fratribus vel sororibus, altero tantùm

tum parente defuncto junctis, *d. c. 3. vers. Unde consequens est.*  
*Auth. Cessante. Cod. de legit. hered. Don. 9. com. 4. vers. sunt &*  
*hæc.*

LX.

Si defuncto fuerit præmortui fratris vel sororis germanæ filius aut filia, & alterius prædefuncti fratris vel sororis ejusdem conditionis nepos aut neptis, tunc filius ille aut filia nepotes vel neptes excludunt, *d. N. c. 3. vers. Hujusmodi. & vers. si verò fin. Hartm. Hartm. Tit. 43. obs. 10.*

LXI.

Si defunctus neque fratres aut sorores conjunctos, neque fratrum aut sororum ejusdem conditionis filios & filias reliquerit, Tertio loco Justinianus ad successionem ante omnes cæteros cognatos vocat semifratres & sorores, sive consanguinei sive uterini fuerint, *d. Nov. 118. cap. 3. in pr. Auth. Post fratres, C. de legit. hered.* Hinc si defunctus relinquat præmortui fratris aut sororis Germani nepotem aut neptem, & fratrem aut sororem, altero tantum parente conjunctum vel conjunctam, tum frater hic aut soror nepotem vel neptem jure communi excludit. *d. Nov. cap. 3. vers. Hujusmodi. & vers. si verò neq; d. Auth. Post fratres. C. de legit. hered.*

LXII.

Si tamen præter fratres illos prædefunctorum semifratrum filii extent, illi unà cum defuncti semifratribus admittuntur, non secus ac admittebantur cum fratribus Germanis fratrum germanorum prædefunctorum filii, cum eadem planè hic militet ratio, nec contrarium sed potius idem de filiis semifratrum constitutum, *in d. c. 3. vers. Ex diverso.*

LXIII.

Si defunctus nullos etiam semifratres reliquit, Quarto loco vocantur semifratrum filii ex uno tantum parente defuncto conjunctorum patruo, avunculo, amita, matertera & reliquis defuncti cognatis exclusis, utcunque patruus in eodem nempè tertio gradu defunctum attingat, quo ipsum attingunt fratris liberi. *d. Nov. cap. 3. vers. Quandoquidem igitur fratris, & vers. si autem defuncto.*

C 2

LXIV. Si

## LXIV.

Si verò neque fratrem filii defunctus reliquerit, omnes deinceps à latere cognati ad hereditatem vocantur, secundum uniuscujusque gradus prærogativam, ut viciniore gradu reliquis præponantur, si autem plurimi ejusdem gradus inveniuntur, secundum personarum numerum inter eos hereditas dividatur. Unde si defunctus reliquisset, patrum, amitam, avunculum & materteram, omnes illi utpote gradu pares defuncto succedent, *argum. d. c. vers. si verò.*

## LXV.

Sed an patruus avunculus amita matertera germani excludant patruos, avunculos, amitas, & materteras, qui ex uno tantum latere defuncti patrem vel matrem attingunt, quæritur? Quod affirmandum videbatur, quia & fratres Germani excludunt semifratres. Sed cum nulla sit constitutio, quæ talem differentiam faciat inter germanos & semipatruos, negativa verior videtur, quæ post alios à Borch. *d. Grad. pag. 240.* approbatur.

## LXVI.

Hactenus vidimus, an & quatenus collaterales defuncto succedant, videamus jam quomodo hereditas inter illos dividenda. Dividitur autem pro numero personarum, si soli adsunt fratres vel sorores defuncti *d. c. 3.* Si verò concurrant consanguinei & uterini fratres, an inter illos omnia defuncti bona æqualiter dividantur, an verò distinctio est facienda, ita ut consanguinei succedant in bonis paternis tantum, uterini in maternis tantum, in reliquis verò aliunde quæsitis æqualiter admittentur, quæritur? Ita distinguendum esse volunt Cujac. *in exposit. Nov. 84. & in Consult. 23. Don. 9. com. 4. & alii.* Verum Fachinæus *6. contr. 5. & Wesemb. in addit. ad Schneid. de success. fratrum ex uno latere junctorum. num. 21.* asserunt, dictum bonorum discrimen non servari, sine distinctione bonorum consanguineos & uterinos fratres æqualiter succedere, quæ sententia apertè probatur per *Nov. 118. c. 3.* ubi sine distinctione bonorum indefinite vocantur. Huc etiam facit, quod mutata possidente, qualitas  
etiam

etiam bonorum mutata censeatur, *l. sed & si plures. §. filio. ff. de vulg. & pup. subst.*

LXVII.

Si non sunt soli fratres & sorores, sed cum illis fratrum & sororum prædefunctorum liberi concurrant, tum fratres & sorores succedunt in capita, fratrum liberi in stirpes, id est, succedunt in eam portionem, quam pater eorum si supervixisset habiturus fuisset. *d. Nov. cap. 3. vers. Si autem defuncto. Auth. Cessante. C. de legit. hered. Nov. 127. c. 1.*

LXVIII.

Si item defuncto vel defunctæ nullus frater vel soror sit, sed tantum duorum aut plurium fratrum vel sororum liberi, tum hi patruo suo vel avunculo, amitæ aut materteræ non in stirpes, sed in capita succedunt, *l. 2. §. Hæc hereditas. ff. de suis & legit. l. 1. §. fin. ff. si pars hered. petat. Nov. 118. capit. 3. vers. Hujusmodi verò, juncto. §. si verò neque fratres. §. Hoc etiam addendum. 4. Instit. de legit. agnat. success. Ulp. Instit. Tit. 26. de legit. hered. §. Agnatorum hereditas. Cajus lib. 2. Instit. tit. 8. §. Item si moriatur quis. concordat Constit. Carolina promulgata Spire in Comitibus. Anno 1529. Zasius in Intellect. sing. c. Incip. Filii duorum fratrum. Don. 9. com. 4. Mysf. 3. obs. 94. Borch. de Feud. c. 7. n. 28. & de Grad. pag. 232. Hotom. Illustr. quest. 14. Cujac. 2. Feud. 11. Fach. 6. contrav. 3. Diss. post Accurs. Sonsbecius de Feud. part. 9. n. 100. & novissimè Anton. Fab. in diss. de Fratrum filiis quomodo illi patruo succedant.*

LXIX.

Post fratrum & sororum filios, collaterales ceteri secundum cujusque gradus prærogativam vocantur, & si plures fuerint ejusdem gradus, dividitur inter eos hereditas secundum personarum numerum, i. e. in capita, *d. N. c. 3. in fin.*

LXX.

Hucusque de successione cognatorum, sequitur successio extraneorum, quales sunt Patroni, Conjuges, Consortes & fiscus.

C 3

LXXII. Si

## LXXI.

Si libertus liberos non habens moriatur intestatus, tum ad omnem ejus substantiam admittitur patronus. Si autem fecerit testamentum sive liberos non habeat sive habeat, incapaces tamen, & amplius quam centum aureis patrimonium habeat, tertia substantiæ pars absque onere ad patronum pertinet, §. *sed nostra. 3. Instit. de success. libert. pr. Instit. de servil. cognat. vers. Hos tamen.* Si tamen dominus acceptis nummis servum manumiserit, cessat hæc patroni successio, *l. unic. §. illud etiam. C. de latin. libert. toll. & l. qui nummis. C. de oper. libert.* Ut etiam si patronus post mortem liberti elegit donum, munus, operas defuncto impositas, *l. sicut. ff. de iure Patron. l. 2. C. de bonor. poss. contra tabb. libert. Boc. Cl. 3. d. 10. th. 55.*

## LXXII.

Post cognatos & patronos legitima conjugis hereditas ad superstitem conjugem defuncti pertinet, ob arctissimam matrimonii conjunctionem, *l. unic. C. unde vir & uxor. §. 1. Inst. de bonor. poss.* modò justum fuerit matrimonium & nullo divortio interveniente vir aut uxor decessit. *l. unic. d. t. etiam si Clericus defunctus fuerit l. 20. C. de Episcop. & Cleric.*

## LXXIII.

Et si verò regulariter conjuges post liberos parentes & cognatos collaterales in subsidium vocentur, cum illis verò non admittantur, multo que minus eis præferantur, *per l. unic. C. unde vir & uxor. l. 3. C. Quor. bonor.* Fit tamen aliquando, ut conjuges existentibus etiam liberis parentibus & cognatis ad successionem admittantur, *de quib. s. th. 37. Videatur hac de re etiam Geil. 2. obs. 124.*

## LXXIV.

De Sponsis num & illi ex *Auth. praterea. C. unde vir & uxor.* succedant & ex statuto quo marito in bonis uxoris & vicissim uxori in bonis mariti succedendi jus habet, quæri solet. Affirmamus si contracta sunt sponsalia de præsentibus, *argum. l. 30. de R. J. cum simil.*

## LXXVI. Con-



## LXXV.

Conjuges sibi invicem succedunt modo in totam hereditatem modo in partem. In solidum si nulli supersunt liberi, parentes vel cognati, *S. sunt autem. de Bonor. possess. l. un. C. unde vir & ux.* vel si talis sit consuetudo aut statutum loci, ut parentibus & cognatis exclusis superstes conjux solus succedat. Pro parte conjuges sibi invicem succedunt vel jure communi, vel jure statutorio. Jure communi, si uxor relicta inops & indotata existat tunc cū liberis defuncti in quartam hereditatis partem, si tres vel pauciores adsint, si plures in virilem partem admittitur. *Nov. 117. c. 5. & d. Auth. Præterea. Cod. unde vir & uxor.* Jure Statutorio quomodo pro parte succedant, id ex cujusq; loci statuto & consuetudine petendum est.

## LXXVI.

Si neque conjuges supersunt, tunc ad defuncti hereditatem vocantur Consortes, quibus specialiter hoc privilegiū datum est. Decurioni n. succedit curia, *l. 4. C. de hered. decur. navic.* Naviculario corpus naviculariorum *l. 1. C. d. t. militanti in legatione aut vexillatione comitatensi vel cuneo,* Succedit legio Cuneus Vexillatio, *l. si quis 6. §. ejus qui vers. quam distinctionem. ff. de injust. rupt. irrit. fact. test. l. 2. de veter. & milit. success. l. 2. C. de hered. decur.* Cohortali, cohortales *l. 3. C. de hered. decur.* Fabricensi collegium fabricensium *l. fin. C. d. t.* Ecclesia & monasterium Clerico & Monacho *l. si quis Presbyter. 20. C. de Episc. & Cler.* Denique si Princeps quibusdam communiter quid dederit alterutro eorum sine herede decedente ad consortem pars illius pertinet, *l. unic. C. si liberal. Imp. soc. sine hered. decess. lib. 10. Bocer. d. disp. th. 59.*

## LXXVII.

Tandem si neque cognatus neque patronus neque conjux neque consors superest, tunc defuncti bona tanquam vacantia jure publico fisco applicantur, *l. 1. in pr. ff. de successor. edict. l. 1. & l. 4. C. de Bon. vacant.* Exclusis affinibus juxta *l. Affinitatis. 7. C. commun. de success.* defuncti nutritoribus *l. 10. C. d. t.* Tutoribus & Curatoribus exclusâ etiam civitate,

4097  
vitate, *dist. l. 1. C. de Bon. vacant.* Hic sciendum, quod vacans hereditas cum suo onere ad fiscum transeat, qui pro viribus rerum hereditariarum creditoribus satisfacere debet, *l. non possunt. 11. ff. de jure fisc. l. 1. §. An bona. ff. eod. l. Mulier. 72. ff. de jure dot. Fachin. 6. Cont. 21. & legata sive fideicommissa testamento vel codicillis relicta præstare, l. 96. §. quotiens. ff. de legat. 1. l. 6. §. Si fisco. ff. ad SC. Trebell. l. 9. ff. de SC. Sillan. l. dicitur, de Jure fisc. Fachin. 6. contr. 22. Boc. d. disp. th. 63. Et tantum hac vice de successione ab intestato attulisse ratione instituti sufficiat.*

## COROLLARIA.

- I. *An Defensio legitima sit juris naturalis ?*  
*Affirm.*
- II. *An contra furiosum & ebrium se defendere liceat ? A.*
- III. *An ob defensionem rerum liceat aliquem interficere, si in periculum vitæ nō sit constitutus ? N.*
- IV. *An ob honoris defensionem injuriantem liceat interficere ? N.*
- V. *An qui alteri dicit Tu mentiris teneatur actione injuriarum, licet adjecerit salvo honore tuo ?*  
*Aff.*
- VI. *An actio injuriarum tollatur retorsione ? N.*
- VII. *An duo possint possidere in solidum, ita ut unus naturaliter alter civiliter possideat ? Aff.*

Laus & Gloria D E O.



... 211

ULB Halle  
006 682 138

3



VONA







B.I.G.

Farbkarte #13

TATIO  
IONIBUS  
STATO

15 37

1616, 6

ente gratiâ

*e Magnifici & Am-  
n Illustri ac florentissima*

IDE  
O AB OESEDEN  
SE HOLSATO.

*tissimis & Doctissimis  
legis proponit*

VILIELMUS à Kreitt/  
PAL.

*Augusti.*  
o consvetis.

V Æ  
S BEITHMANNI

o. C. XVI.

